

tatem dissolutionis, nisi pro casu quo infidelis discedat, explicite vel implicite nolendo vivere pacifice, etc. Ergo concessio ad hunc casum restringi debet. 2° Eruitur ex *Innocentio III*, qui ait *C. Gaudemus*, 8, *de Divortis*: « Nunquam, ea vivente (uxore), licite poterit aliam habere, « nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut « etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia creatoris, vel ut eum « pertrahat ad peccatum mortale. » Sic etiam declaravit *S. Congr. Conc.*, teste *Bened. XIV*, *de Syn.* l. 13, c. 21. — *V. Carrière*, n. 279.

906. — *Affirmant* vero non pauci et gravissimi Auctores. Ratio eorum est, 1° quia verba Apostoli: *non dimittat illam...* intelligi possunt de consilio, non de præcepto; 2° quia, si intelligantur de præcepto, cessavit illud præceptum, cessante ejus ratione: etenim prioribus sæculis Ecclesiæ non expediebat quidem ut fidelis ab infideli separaretur, præter casus supra enumeratos, secus vero postea, quia graviora mala ex cohabitatione fuerunt metuenda; 3° quia Ecclesia prohibuit postea cohabitationem, ut supra dictum est; et proinde infidelis nolens converti, implicite discedit, siquidem cogit alterum ad discedendum. *Ita Sanchez*, l. 7, *disp.* 63, cum *Bellarmino*, etc. Et hanc sententiam *probabiliorem* dicit *S. Lig.* n. 957.

## CASUS V.

## SOLUTIO MATRIMONII 2°.

FELICIANUS, matrimonio cum SYLVIA contracto et nondum consummato, uxori et mundo valedicens, divina afflante gratia Ordinem religiosum ingressus est, ibique vota solemnia nuncupavit. SYLVIA et ipsa Congregationem quamdam mulierum ingressa, votum castitatis simplex coram Episcopo emisit. Lapsu vero temporis, e concepto fervore paulatim decidens, SYLVIA e Congregatione egressa est, et ad sæculum rediit. Tunc ad exteram regionem se contulit, nuptiasque celebravit cum HERMANNO, cui totam vitam occultavit. Rebus tamen postea cognitis, HERMANNUS, existimans irritum esse suum matrimonium, SYLVIA dimissa, novis nuptiis inhiare cœpit; sed antea quærit a Confessario utrum id agere possit?

HINC :

QUER. 1° *An Professio religiosa solvat matrimonium?*

2° *Quonam jure illud dirimat?*

3° *An matrimonium SYLVIAE cum HERMANNO validum et licitum fuerit? Et quid de proposito HERMANNI ad alias nuptias convolandi?*

SOLUTIO :

907. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* *Affirmative*, modo matrimonium sit tantum ratum et non consummatum. Constat ex *Conc. Trid. sess. 24, can. 6*: « Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum, per solemnem « Religionis Professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit. » Hoc igitur ad Fidem pertinet. Constat etiam ex variis Decisionibus SS.

Pontificum, præsertim *Alexandri III*, *Innocentii III*, etc., necnon ex constanti Ecclesiæ praxi.

908. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Controvertitur*: juxta plures, de Jure naturali; juxta alios, de Jure ecclesiastico; sed probabilius, juxta communior sententiam, de Jure divino ab Ecclesia declarato. *Sic P. Perrone de Matrimonio christiano*, tom. 3, *sect.* 2, c. 6. — *Carrière*, n. 311 et seq.; in *ejusdem Comp.* n. 97.

909. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Matrimonium istud est validum. Non obstat enim primum SYLVIAE matrimonium cum FELICIANO, siquidem per Professionem FELICIANI solutum est, juxta superius dicta. Nec obstat votum castitatis ad ipsa SYLVIA apud Moniales emissum cum votum illud fuerit simplex tantum, licet coram Episcopo emissum. Verum gravissime peccavit SYLVIA, matrimonium ineundo, quia violavit votum castitatis, quo se obstrinxerat. Debuisset ad dispensationem Pontificiam recurrere. Nunc vero Episcopum aut Confessarium regularem adire satis erit; HERMANNUS autem, valido conjunctus matrimonio, ad alias nuptias convolare non potest. Cum SYLVIA igitur in bona pace vitam ducat.

## CASUS VI.

## DIVORTIUM A TORO ET HABITATIONE 1°.

1° CLAUDINA a viro suo varias ob causas discessit, scilicet: 1° quia ipsa a marito sæpe verbis, necnon verberibus impetitur; 2° quia vir cum muliere malæ famæ frequens consortium habet, et ab ea discedere recusat; 3° quia maritus vino deditus, singulis fere diebus inebriatus, omnia subvertit, domumque tota nocte clamoribus implet, ita ut ipsa ne oculum quidem clauderet valeat.

2° CYRINUS ob uxoris adulterium, ex judicis sententia divortium fecit, quamvis ipse secreti adulterii reus foret. Quapropter dubitat an ipsam revocare teneatur.

3° MARCELLINUS, obtenta separatione ab uxore, de adulterio juridice convicta, statum clericalem amplecti statuit, et Ordines sacros successive suscepit. Sed ecce! vix erat ordinatus Sacerdos, cum uxor innocentiam suam juridice probat, virumque ad se redire jubet.

HINC :

QUER. 1° *Quibusnam de causis divortium fieri possit?*

2° *An valeant rationes a CLAUDINA allatæ in primo casu, etiam seorsim sumptæ, ut discedere possit etiam privata auctoritate.*

3° *An CYRINUS in 2° casu teneatur uxorem revocare? Quid, si adulterium tantum post separationem commisisset?*

4° *An MARCELLINUS in 3° casu teneatur ad uxorem redire, et maritali modo cum ea vivere?*

SOLUTIO :

910. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* Divortium a toro et habitatione fieri potest :

1° mutuo consensu, ad tempus de justa causa, vel in perpetuum ad vitam perfectiorem amplectendam; 2° ob periculum grave animæ aut corporis, ex cohabitatione cum comparte imminens; 3° ob adulterium alterutrius, ut patet ex verbis Christi, *Matt. c. 5, v. 32: Qui dimiserit uxorem, excepta fornicationis causa, facit eam mæchari.* — *V. Comp. n. 761.*

911. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* 1° Valet prima ratio *per se*, id est si vexatio sit gravissima, seu vere sæva, et notabiliter excedens modum corrigendi permissum ex quo grave malum immineat, v. g. periculum mortis, mutilationis, etc. 2° Valet quoque secunda ratio, si CLAUDINA moraliter certa sit de adulterio mariti sui, ut ex casu constare videtur. Ratio est, quia matrimonium non obligat ad redditionem debiti, et ad alia munera adimplenda, nisi conditionate, scilicet, si alter conjux fidem conjugalem servet. Ergo, si alter fidem fregerit, hæc obligatio cessat. 3° *Per se* autem non sufficit tertia ratio, quia, licet vir sæpe ebrius clamet, et omnia domi subvertat, nullum tamen grave periculum corporis uxori imminet. In primo autem et secundo casu CLAUDINA divortium facere potest, etiam propria auctoritate, *per se loquendo*, ut conveniunt Doctores communiter, ratione adulterii. *S. Lig. n. 968.* Probabilius autem etiam admittendum est ratione sævitiarum, quia sæpe esset periculum in mora, et nemo tenetur expectare sententiam judicis cum gravis damni periculo. Insuper injuriæ etiam gravissime non semper in foro externo probari possent. *Elbel, n. 376.*

912. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* 1° CYRINUS tenetur in casu uxorem suam revocare. Ratio est, quia paria habentur delicta, cum uterque conjux alteri fidem fregerit. Mutua igitur compensatio ex utraque parte orta est. Ergo CYRINUS injuste egit divortium procurando; et injustitiam hanc reparare debet uxorem revocando. *Pontas verbo Divorce, cas. 3.*

2° Si vir adulterium commisisset tantum post separationem juridice obtentam, probabilius non teneretur uxorem revocare, quia hæc per sententiam judicis omni jure erga maritum spoliata fuit. *V. Comp. n. 763.* — *S. Lig. n. 967.*

913. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst. Affirm.* Ratio est, quia uxor injuste jure suo privata est; ergo hoc jus suum repetere potest. Ergo, si repetat, ei reddendum est. MARCELLINUS igitur vitæ laicali restituendus est. Sed cum castitatem promiserit in Ordinis susceptione, debitum petere non poterit, sed reddere tantum. *Pontas, v. Divorce, cas. 4, post S. Thom. et S. Bonav.* In praxi autem, ratione reverentiæ Sacerdotio debitæ, roganda foret mulier, imo et enixe hortanda ut e jure suo cederet, et virum in pace relinqueret.

## CASUS VII.

### DIVORTIUM A TORO ET HABITATIONE 2°.

1° URSINUS et ACHARIS, conjuges, in perpetuis jurgiis viventes, nec verbis solum, sed etiam verberibus contententes, mutuo consensu, ad operandam animæ salutem, divortium a toro et ab habitatione faciunt. Sed ab ALBERICO Confessario sine absolute dimittuntur, donec cohabitaverint.

2° MANLIUS, rescians uxorem a pluribus annis adulterium commisisse, separationem juridicam urget, quamvis certo noverit eam ad meliorem frugem sese recepisse, et sanctam quidem vitam nunc peragere.

3° GERMANUS, matrimonio cum CLARA ab uno anno conjunctus, jam totam hæreditatem a matre defuncta receptam potando exhaurit, dum pater proprium patrimonium comedit. CLARA, ex fructibus dotis maritum simul et socerum sustentans, ab utroque verbis asperis et durioribus verberibus indesinenter lacessitur. Teneram oviculam inter duos lupos cerneret! Quid tunc CLARA? cum prolem nullam ex viro susceperit, et suscipere in tam misera conditione timeat, clam fugit ad domum paternam, nec ad maritum redire consentit.

HINC :

QUÆR. 1° *An conjuges in primo casu legitime separari potuerint, et an recte egerit Confessarius?*

2° *An recte MANLIUS separationem petiverit in secundo casu?*

3° *Quid, si MANLIUS condonasset uxori, vel si cognito crimine, cum ea cohabitasset?*

4° *Quid dicendum de CLARA in tertio casu?*

SOLUTIO :

914. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Per se loquendo*, isti conjuges in perpetuum separari nequeunt, mutuo consensu. Ratio est, 1° quia hujusmodi separatio nunquam scandalo caret; 2° quia tenentur lege caritatis et pietatis, seposita occasione, mutuum amorem fovere, et alter alterius onera portare; 3° quia fere semper maxima incommoda ex tali divortio subsequi solent, scilicet odia reciproca, familiarum dissensiones, periculum incontinentiæ, etc....; secus tamen si accedat alia ratio gravis, v. g. si viri sævitiæ in uxorem sint intolerabiles, ut in casu præcedenti dictum est, etc. Quare *per se* recte egit Confessarius hos conjuges absque beneficio absolute dimittendo. Attamen conari debuit, ut eos verbis pacificis ad mutuam reconciliationem adhortaretur. *Pontas, v. Divorce, cas. 7.* Aliquando etiam solutio integra hujusmodi casus a solis rerum adjunctis pendere potest; decisio igitur ex circumstantiis temperari debet: in praxi enim quandoque utendum est aliqua *epikeia*, separationem ad tempus permittendo.

915. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Affirm.* absolute loquendo. Ratio est, quia, cum uxor fidem fregerit, vir utitur jure suo; pœnitentia enim uxoris non tollit de medio factum quo ejectione digna fuit. *Pontas, v. Divorce, cas. 10, post S. Thomam et S. Bonav.* — *Comitolus, t. 1, quæst. 144*, ubi asserit esse sententiam communem Theologorum. Attamen in praxi valde inducendus est maritus ut uxori condonet pœnitenti, et eam non dimittat. Igitur, ex rigore juris, MANLIUS uxorem dimittere quidem potest, sed ex quadam convenientia non expedit ut jure suo utatur; attendere etiam debet ad famam uxoris non prostituendam, atque ad scandalum non creandum. Quamobrem, si hæc culpa mulieris secreta sit, eam propalare non potest: tunc igitur satis erit, si debitum conjugale ei deneget; et melius faciet si, adhibita misericordia, peccati uxoris omnino immemor fiat.

916. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* Si MANLIUS condonasset uxori, minime posset separationem urgere, quia condonando e jure suo cessisset; ubi autem quis e jure suo cessit, jam eo amplius non gaudet, nec proinde eodem uti potest perinde ac si illud servasset. Idem est dicendum si, cognito crimine uxoris, cum ea pacifice habitaverit et matrimonio usus fuerit, quia hæc agendi ratio esset vera condonatio, saltem implicita. *Ita communiter.*

917. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæ.* Quid dicam de te, infelix CLARA, mulierum miserrima? heu! infauste experiris id quod Apostolus prædixit generatim conjugibus adfuturum: *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi*; reapse quot alias mulieres ejusdem infelicitatis socias reperies! Sed exiguum tibi est solatium quod aliæ uxores bene multæ tuæ miseræ conditionis sint participes: aliarum lacrymæ, tuarum fontem exsiccare non valent. Igitur, ne gravamen majus tibi afferam, nolo te damnare ex eo quod a marito adeo in te sævo discesseris, neque te urgere volo, saltem in præsentibus circumstantiis, ut cum eo cohabitares ad duras et juges verberationes sufferendas.

918. — Sed cave ne tolerabilia velut intolerabilia jactes. Novimus enim solitum esse uxoris ærumnas suas exaggerare, ut jugo maritali subtrahantur. Verum, quod vir tuus et socer ventri indulgeant indesinenter, unus manducando et alter bibendo, non est ratio sufficiens ut ab eis discedas. Neque valet timor, ne proles superveniens bonis fortunæ destituatur. Deus enim, qui *pascit volatilia cæli, dat escam timentibus se*. Si consilium a me petis, tibi suadeo ut cum viro tuo cohabitares, parata ad omnia incommoda, adjuvante divina gratia, patienter toleranda. Non obstabo tamen quin civilem bonorum separationem postules, imo suadebo ut facias.

#### CASUS VIII. PAROCHI MUNUS.

1<sup>o</sup> SIGISMUNDUS, Parochus, non raro anxietate laborat quando ad nuptias benedicendas advocatur, ne cooperetur sacrilegiis unius vel utriusque sponsi, qui absque debita dispositione ad Sacramentum vivorum accedere videntur, præsertim in casibus sequentibus: 1<sup>o</sup> si accedant sponsi, Confessionis testimonium non perhibentes, vel aperte confiteri recusantes; 2<sup>o</sup> si unus dispositus quidem videtur, alter vero peccator publicus vulgo habetur; 3<sup>o</sup> si agatur de concubinariis vel publicis peccatoribus, jam contractu civili constrictis, et simul habitantibus. Etenim, si in præfatis interveniat Parochus, manifestum fit sacrilegium; si vero assistentiam denegat, alia incommoda nec parva subsequuntur. Quid igitur faciet? Quid tu ipsius loco?

2<sup>o</sup> PANTALEO, Parochus, excipiens confessionem FLAVIÆ die sequenti nuptias celebraturæ, deprehendit eam in prava consuetudine hucusque protrahatam. Quid faciet Confessarius? Timens ne indispositam absolvat, dilata absolutione, jubet illam, elapsis quindecim diebus a contractu matrimonio, ad confitendum redire, putans expedire magis unum Sacramentum quam duo vel tria periculo profanationis exponi.

HINC:

QUÆR. 1<sup>o</sup> *Quandonam Parochus assistere possit matrimonio illorum qui male dispositi videntur?*

2<sup>o</sup> *Quid si unus tantum sit indispositus?*

3<sup>o</sup> *An Parochus testimonium Confessionis a sponsis necessario requirere debeat?*

4<sup>o</sup> *Quid ad casus?*

SOLUTIO:

919. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Generatim loquendo Parochus assistere nequit matrimonio eorum qui sunt publici peccatores, quia publice indigni non sunt ad Sacramenta admittendi, nec licet peccato aliorum etiam materialiter cooperari, nisi gravis ratio urgeat. Data autem gravi et proportionata ratione, assistentiam præstare poterit, præsertim si adsit periculum fornicariæ cohabitationis inter sponsos, quod scandalum multo majus crearet; cessat autem omnis difficultas, si sponsi sint publici concubinarii, quia eorum matrimonium finem scandalo imponet, nedum illud producat. Quod si sponsi sint peccatores occulti, privatim adhortandi sunt, si facile fieri possit, ut ad meliorem frugem se recipiant. Sed si urgeant et matrimonium publice petant, ipsorum votis accedendum est. *V. Comp. n. 218 et 769.*

920. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Si unus e sponsis sit indispositus, Parochus facile matrimonio assistere poterit in favorem innocentis, quia tunc sufficiens habetur ratio cooperandi materialiter peccato illius qui indignus judicatur. *V. Comp. ibid.*

921. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* 1<sup>o</sup> *Nego per se loquendo.* Ratio est, quia nulla datur lex Ecclesiæ generalis id præscribens, et præterea sponsi possent existere in statu gratiæ, vel in illo per contritionem perfectam reponi. *Gousset, n. 754.*

2<sup>o</sup> *Affirmandum* autem est, ubi existit lex particularis, ut in multis locis reapse habetur, nisi adsit nimia difficultas in hujus legis observatione, præsertim erga eos qui jam matrimonium civiliter contraxerunt; sed antea generatim ab Episcopo rescindendum est quid, casu occurrente, agendum sit. *Gousset, n. 754. — V. Comp. ibid.*

922. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæ. — Ad 1<sup>m</sup> casum.* Sponsi sunt quidem enixe adhortandi ut confiteantur ante matrimonii celebrationem, non vero absolute cogendi, nisi lex particularis id præscribat, neque sit servatu difficilius. — 2<sup>o</sup> Quando unus sponsus est dispositus, Parochus in illius favorem matrimonio assistere potest, licet alter ut peccator publicus habeatur. — 3<sup>o</sup> In tertia hypothesi, faciet quidquid poterit Parochus ad sponsos digne disponendos; si res non succedat, nihilominus illos conjungere poterit, majoris mali vitandi gratia.

923. — *Ad 2<sup>m</sup> casum.* Non placet Parochi PANTALEONIS decisio, ac agendi ratio. Debuisset FLAVIAM meliori modo possibili ad absolutionem præparare, et dubie dispositam conditionate absolvere.

*Objicit PANTALEO:* Præstat ut FLAVIA unum Sacramentum potius quam duo vel tria periculo profanationis exponat.

*Respondeo* : Præstat ut vitetur profanatio certa et formalis etiam unius Sacramenti, potius quam profanatio incerta tantum unius et alterius. Agitur enim solum de Pœnitentia et de Matrimonio; siquidem præscribi posset FLAVIÆ ut omittat Communionem, utpote non necessariam. Porro in casu, FLAVIA, sciens se non esse absolutam, Sacramentum Matrimonii in statu peccati mortalis recipiet et illud profanabit sine dubio. E contrario, si conditionate absolvatur, probabiliter valebit absolutio in hypothesi, nec proinde de ullo sacrilegio certo constabit. Imo facile FLAVIA sic absoluta versabitur in bona fide, licet forte absolutio invalida sit, et tunc nullo inquinabitur sacrilegio. *Vide dicta de absolute conditionata, cas. 6 et 7, de Pœnitentia, n. 393 et seq. — V. Comp. n. 436.*

## CASUS

## DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII

## SEU

*De efficacia impedimentorum. — De voto simplici. — De voto ingrediendi Religionem. — De impedimento erroris, — voti solemnitis, — consanguinitatis, — cognationis spiritualis, — affinitatis, honestatis publicæ, — criminis, — disparitatis cultus, — metus, — ligaminis, — clandestinatis. — De matrimoniis hæreticorum. — De assistentia Parochi, etc.*

## CASUS I.

## IMPEDIMENTORUM EFFICACIA.

CELINA, puella, dum, nescio quo casu, in statu involuntariæ ebrietatis versaretur, a TITIO opprimitur. Elapsis pluribus annis, rei prorsus inscia CELINA cum CAIO, TITII fratre, nuptias celebrat. Postea autem, cum id, fatente ipso TITIO, rescivisset, de matrimonii valore multum angitur. Ad GERMANUM Parochum statim properat, dubitationemque suam ei aperit. At ille : « Nihil est quod timeas, filia, inquit; nulla debetur pœna ubi nulla datur culpa, et insuper lex ignorata obligare nequit. »

HINC :

- QUÆR. 1<sup>o</sup> *An impedimenta invincibiliter ignorata matrimonium irritent?*  
 2<sup>o</sup> *An incurrantur, seclusa culpa, ubi rationem pœnæ habent?*  
 3<sup>o</sup> *Quid ad casum?*

SOLUTIO :

924. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quærs. Affirmative.* Ratio est, quia impedimenta dirimentia sunt leges irritantes, quæ proinde matrimonium prorsus invalidum faciunt, licet ignorentur. Irritatio enim locum habet independentem a voluntate et cognitione contrahentis. *V. Comp. n. 787.*

925. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quærs. Affirmative.* Ratio est, quia in eo casu impedimenta primo habent rationem vinculi, et secundo tantum rationem pœnæ. *V. Comp. n. 788.*

926. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quærs.* Turpiter et crasse erravit GERMANUS Parochus; non agitur enim ibi de pœna, sed de lege Ecclesiæ, matrimonium irritante : ergo nullum est CELINÆ matrimonium, et proinde, obtenta dispensatione, revalidandum. GERMANUS autem ad studium Theologiæ moralis remittendus est.